

## † R. Fr. Petrus Shen (1928-1954)

(Prov. Hisp.)



Huic clero 26 annorum ideo dedicatur in Analectis saltem brevis hic necrologus, quia primus Redemptorista sinensis est, in sinu Congregationis mortuus, et sancto quidem fine praedestinatorum.

Petrus Shen natus est 30 Dec. 1928, ergo quo anno primi sodales Redemptoriani ex Hispania eo appulerant, in loco Chao-Shien provinciae Hopei. Se associavit novae Congregationi indigenae Discipulorum Domini, quam hodiernus E.mus Celsus Card. Costantini circa illum annum fundavit, tunc in Sinis Delegatus Apostolicus, et cuius in spiritu moderamen, saltem ad tempus, nostris primis missionalibus credere voluit (1). Verum nova rerum condicio ultimo bello effecta causa fuit, cur Petrus Shen inter alfon-sianos sodales recipi voluerit. Tyrocinium in patria quidem incepit, sed mense Iulio 1949 Patres Emmanuel Morán et Iosephum Campos, per Romam in Hispaniam redeuntes, comitari iussus est novicius (2), et in Hispania vota nostri Instituti emisit 28 Augusti eiusdem anni.

Tempore studiorum superiorum Fr. Shen demonstravit virtutem solidam, velut constantiam in labore et comitatem in conversando; virtus autem quasi heroica in eo effulsit in ultima ac molestissima infirmitate, ineunte hoc anno se manifestante. Ipse putabat agi de morbo stricte sinensi et in Europa incognito, diagnosis autem trium peritorum nosocomii granatensis S. Caecilii, quo 23 Martii e collegio Santa Fe se contulerat, erat « cirrosis hepatosplenica ». Granatae iam 8 Aprilis, ergo fer. V Passionis, post fortē haemorrhagiam munitus est ultimis sacramentis; verumtamen Sabbato Sancto meliuscule se habere coepit, et ita per totam hebdodomadem Paschatis.

Confratres, incluso ipso Superiori Provinciali, generose aegrotanti donabant suum sanguinem, usque ad quinque litra, et ope harum sanguinis transfusionum vitam eius prolongaverunt, sicut etiam omni nocte ei invigilabat aliquis sodalis collegii Santa Fe, sive sacerdos sive clericus.

Admirabili spiritus fortitudine ac constantia dilectus confrater sustinebat fortissimos dolores omnisque quietis defectum. Mors tandem advenit d. 11 Maii, h. 14,40. Cum vivus in sua cella mori cupisset, saltem post mortem ad suam domum religiosam delatus est ibique multa recepit suffragia, non solum a confratribus, sed etiam ab incolis oppidi. In coemeterio loci nunc quiescit.

(1) Cf. *Analecta* VII (1928), 222 s.; VIII (1929), 305.

(2) RIS., p. 25.

Folia privata Provinciae, *Boletín inscripta*, in num. 49 diei 15 Iul. 1954,  
unde haec desumpta, certam exprimunt spem fore ut obitus huius primi Re-  
demptoristae Sinensis evadat semen novae resurrectionis pro hac portione dilectae  
nostrae Congregationis. Quod Deus bene vertat.

C. H.